



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae  
Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De  
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 13. Commemoratio Dominicae Passionis ante Missam

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

& amplectere me, quamvis indignissimum gratia, tua, ad te revertentem, juxta verbum Prophetæ tui dicentis : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

§. XIII. Commemoratio Dominicæ Passionis ante Missam.

**S**æpè dictum est in hoc incruento sacrificio cruentum illud, quod semel in Cruce peractum est, non verbis sed re ipsa repræsentari: una si quidem & eadem est hostia, idem qui per sacerdotis ministerium offert, idem Christus qui immolatur. Sicut enim dicitur Agnus occisus ab origine mundi, eo quod mortuus censeatur in figuris animalium, quæ in ipsius memoriam mactabantur: ita non immerito eundem vocare possumus Agnum, qui quotidie occiditur usque ad finem mundi, in hac nimirum suæ mortis repræsentatione, quæ duratura est, donec Mundus durabit. Ideò sancti Patres mortis Christi memoriam hoc sacrificium celebranti super omnia necessariam esse affirmant, dicente Apostolo, *Quotiescumque manducabis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabis, donec veniat.* Hoc ipsum autem idem Salvator noster præcepit, cum instituto hoc sacramento ait, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba Seraphicus Doctor sollicitè expendens libro de puritate conscientiæ cap. 9. existimat sacerdotem nullatenus debere Missæ sacrificium celebrare quin prius passionem & mortem Domini commemoraret. *Id, inquit, quod pro meipso retineo, est verbum illius qui hoc sacramentum instituit, quem non creao illud frustra protulisse.* *Dixit enim, Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Ex quo quidem verbo arguo mihi ipse, quod quoties volo id agere quod ipse instituit, & modo prædicto reliquit, timeo nequaquam sine remorsu conscientiæ ac præjudicio animæ ad illud posse accedere, nisi præmemorata ipsius instituentis charitate, ac ejus passione & morte, in cuius memoriam perpetuò recolendam illud Sacramentum

debere confici & percipi ipse præclare afferuit & injunxit.  
 Sacerdos itaque, cum ad sacrum faciendum se præparat,  
 fasciculum sibi colligat ex omnibus anxietatibus & ama-  
 ritudinibus Domini, & inter ubera sua collocet, cordis-  
 que medullis inferat; mente & affectu sedulò revolvens  
 omnia tormenta, quæ ille pro salute nostra perpessus est.  
 Hæc frequenter in ore, hæc semper in corde habeat: &  
 hæc sit ejus sublimior Philosophia, scire Christum, &  
 hunc crucifixum. Cum verò ad altare accessurus est, sic  
 oret ex toto corde.

## ORATIO.

**M**emoria memor ero, Clementissime Pater, & ta-  
 bescer in me anima mea: omniumque dolorum &  
 passionum, atque acerbissimæ mortis Filii tui Domini  
 mei Jesu Christi cum gemitibus & lachrymis recordabor,  
 quia ipse salus & vita mea ante oculos meos pependit in  
 ligno, offerens se tibi in holocaustum pro mea & totius  
 mundi salute. Hanc autem oblationem vivam, quam tu  
 misisti in miseratione multa ad altare crucis immolan-  
 dam pro nobis, hanc eandem tibi nunc offero, passio-  
 nem ejus & mortem recolens ac repræsentans: sicut ipse  
 præcepit, cum dixit, ut idem in ejus commemoratio-  
 nem faceremus. Recordare itaque humilitatis ejus, pa-  
 tientiæ, charitatis, mansuetudinis, & obedientiæ. Respi-  
 ce labores ejus, jejunia, contemptus, contumelias, vin-  
 cula, irrisiones, & iniquam condemnationem. Respice  
 in faciem Christi tui, & intuere speciosum forma præ-  
 filiis hominum opprobriis, injuriis, verberibus, livi-  
 ribus, contusionibus ita deformatum, ut non sit ei spe-  
 cies, neque decor. Vide caput nobilissimum spinarum  
 punctionibus transfosum, & percussionibus attritum.  
 Vide genas modestissimas sputis fœdatas, alapis cæfas,  
 sanguine cruentatas. Vide oculos benignissimos la-  
 crymis perfusos & ad ignominiam velatos. Vide os  
 suavissimum siti ardentissima cruciatum, & felle atque

aceto potatum. Vide dorsum, supra quod fabricaverunt peccatores, verberibus dilaniatum, & humeros crucis pondere oppressos. Vide brachia amabilissima funibus devincta, & in cruce crudeliter extensa. Vide manus innocentissimas durissimis clavis perforatas. Vide pedes delicatos tot itineribus defatigatos, ac cruci tandem affixos. Vide corpus venerabile pro nobis in cruce suspensum, vulneratum, mortuum, & sepultum. Vide sanguinem pretiosissimum usque ad minimam guttam pro nostra salute misericorditer effusum. Hæc enim tibi offero & repræsento, omni quo possum devotionis affectu suppli- citer orans, ut ipsa pietas, qua Filium tuum pro nobis tradidisti, te omnibus misereri compellat, pro quibus ille factus obediens usque ad mortem, crucem subire dignatus est. Amen.

#### §. XIV. *Oratio ante Missam ad Patrem.*

**R**Espice, Clementissime Pater, de sanctuario tuo, & de excelso cælorum habitaculo, & intuere hanc immaculatam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster Jesus Christus Filius tuus Salvator mundi pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ, quia vox sanguinis Domini nostri clamat ad te de cruce. hic est justitia mea, & sanctifica-  
tio, ac propitiatio mea. Averte faciem tuam à pecca-  
tis meis, & respice in faciem Christi tui: ejus enim me-  
ritum offero ad te, omnemque fiduciam in eo defixam  
habeo. Impellit ministrandi necessitas, terret conscienc-  
tia indebiti sacerdotii. Sed rogo te, ne despicias mihi  
creditæ dispensationis officium, licet in me boni operis  
testimonium non agnoscas. Et quia me indignum media-  
torem esse voluisti inter te & populum tuum, ne me  
repellas à tua pietate cum divinissimis donis tuis ve-  
nientem ad te, ut inculpatè accedens ad gloriam tuam,  
dignus sim qui operiar protectione Unigeniti Filii tui, &  
illuminatione Spiritus sancti tui, atque pro omnibus de-